Kolser

195.

Dupl. coll. ad I 16036

Moufs

16/X 89

DISSERTATIO
INAUGURALIS, MEDICA
DE
ENTERALGIAE
PRAECIPUIS SPECIEBUS,

quam consensu et auctoritate
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
Praesidis ac Directoris
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI
nec non
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
pro
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS RITE OBTINENDIS
in antiquissima ac celeberrima Universitate Vindobonensi publicae disquisitioni submittit

STEPHANUS KOTSEVAR
Styrus Polstraviensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die 25. Julii MDCCCXXXV.

VINDOBONAE,
TYPIS ANTONII PICHLER.
1835.

PARENTIBUS OPTIMIS

FILII

PIUS ANIMUS.

*

Prooemium.

Materia, quam in dissertatione mea inaugurali tracto, certe difficultates opponit majores, quam ut a medico, qui scholarum limen vix egressus est, ad fundum exarari, atque arti Hippocraticae novum emolumentum inde conciliari queat. Disquirendam tamen selegi, quia ejus varias formas observandi mihi obsecundavit occasio, atque de ea multa legendi otia fuerunt. — Medici, qui plura legerunt abservavuntque, in hoc opusculo nihil novi offendent, idque cum nausea pervolvent; sed rogo, ne objurgent

tironem, qui in brevi, quod concessum fuit, tempore omnem operam impendit, ut tractatum perfectiorem mandaret chartis, cujus vero votis imbecilles non responderunt vires.

§. 1. Enteralgia (ab ἐντερον intestinum et ἀλγος dolor), — colica, dolor colicus; germ. Kolik, Bauchschmerz, Bauchgrimmen, Darmschmerz; gall. colique, tranchée de ventre; angl. Colik; slav. grizanje, — est intestinorum dolor gravis, continuus sive intermittens, fixus sive vagus, qui e principali vel nervorum vel vasorum adfectione, vel ex organico vitio suam petit originem.

§. 2. Definitio dictat enteralgiae divisionem, ut igitur tres dentur ejus species, quarum primae enteralgia flatulenta, spasmodica et saturnina; alteri traumatica, rheumatica, catarrhalis, haemorrhoidalis, saburralis, ab heterogeneis solidis, a faecibus; tertiae ulcerosa, skirrhosa, carcinomatosa, verminosa, calculosa, ex hernia adnumerantur.

Nota. Divisionis sequor cardinem, quem, cel. Pr. nob. ab Hildenbrand in clinico nos docuit.

§. 3. Enteralgia flatulenta illa audit, quae cum spasmis entericis, et magna materierum gasiformium in tubo alimentari extrusorum copia accedit. Dolor vagans, raro fixus coli tractum sequitur, tactu non augetur; flatulentia quandoque enormis

evadit, neque intestinorum nimia expansione ruptorum exempla desunt. Maxime autem intestinum colon extensioni inflativae obnoxium est, ideoque abdominis elatio juxta illius decursum observatur. Colon expansum diaphragmatis descensum praepedit, et respirationem angit. Copiosi ructus adparent, et flatus secedunt, quod aegro adfert levamen. Pulsus normali frequentior, contractus, nonnumquam intermittens; alvus clausa, et si faeces deponuntur, durae conspiciuntur. Urina pallida, quae in paroxysmo graviori supprimitur. Penis interdum sine voluptate erigitur, rigescit.

§. 4. Causam hujus mali proximam constituit spasmus, qui aëribus in intestinis exortis meatum occludit. Hypochondriaci et hystericae praeprimis colicae flatulentae succumbunt, quorum digestio languet, acidique carbonici et hydrogenii origini ansam praebet. Non raro usus ciborum et potuum, qui in fermentationem proni sunt, uti: farinaceorum, leguminum, oleraceorum, fructuum horaeorum, cerevisiae, vini immaturi, hanc enteralgiam producit. Hinc inde per iram aut refrigerium excretio bilis nimia evadit, quae intestina irritat, spastice contrahit, simulque aëribus evolvendis materiam exhibet, ideoque omnes conditiones convocat, quibus flatulentia spastica innititur.

§. 5. In therapia primum erit materiam fer-

mentantem, aut eam, quae gas extricare valet, eliminare; aëri in intestinis collecto liberos conciliare exitus; dein intestina languentia roborare. Conveniunt Rhabarbarina; remedia gas absorbentia, lapides cancrorum, magnesia usta; physagoga, uti semina plantarum umbelliferarum, anisi, foeniculi, coriandri, phellandri aquatici, angelicae, ligustici etc. Infusa, aquae, oleosacchara, flor. chamomillae, anisi, menthae crispae, melissae etc.; spiritus nitri dulcis, liquor miner. anod. Hoffmanni, tinctura Castorei etc. Externe conducunt abdominis frictiones, inunctiones antispasticae, clysmata emollientia, oleosa, mucilaginosa, antispasmodica. Flatulentia ammota et doloribus simul pulsis catarctica leniora a nonnullis commendantur; aliter tonica melius adhibentur.

§. 6. Enteralgia spasmodica differt a priori, quod nulla adest flatulentia, neque praeter dolorem est, quod aeger adcuset. Dolor est mere nervosus, quin alia adfectio ei subsit. Accessus doloris consuetim subito adparet, qui interdum vehementissime urget, ita ut fortissimis viris gemitum eliciat, unicum aut plura abdominis loca occupat, et vagando exacerbationes observat. Pressione non augetur! quin imo mitigatur, spasticis intestinorum contractionibus, borborygmis, angore universali, et obstructione alvina stipatus. Pallet facies,

dedolantur extremitates, pulsus est parvus, contractus, saepe inaequalis.

§. 7. Huic enteralgiae subjecti sunt delicatuli, hypochondriaci, hystericae, vitam sedentariam agentes, studiis occupati, praesertim si animi pathemata vel refrigerium accedit.

§. 8. In therapia bene adtendendum est, an nulla nota inflammatoria adsit, quae prius antiphlogistic's est auferenda. Si dein simplex fuerit spasmus, antispasmodica et narcotica interne, et externe epithemata sicca, calida, aromatica conducunt. Laudantur etiam balnea, dein inunctiones oleosorum, balsamicorum, aethereorum, quae vi nervina et antispastica pollent.

§. 9. Enteralgia saturnina doloribus obscuris et intermittentibus, raris alvi depositionibus et duris excretis annuntiatur: in quibus molestiis aeger plures dies iterdum septimanas suis officiis operam navat, donec lectum petere cogatur. — Malo eo adaucto, ut auxilium medicum imploretur, abdominis dolores ita intensi sunt, ut aeger gemat, ejulet, situm diversimode mutet, sperans fore, ut certum inveniat, in quo cruciatus mitigentur. Miseri per vices situ horizontali deserto se erigunt, sed paulo post in lectum labuntur, in quo interdum transverse jacent, abdomini incumbunt, modo supini torquentur, et manibus abdominis integumenta

cutanea fricant, dolorem abacturi. Dolorum exacerbationes et remissiones manifestae sunt; consuetim durante nocte cruciatus vehementissimi adparent, ita ut omnis somnus fugetur. Sub exacerbatione dolor terebrat laceratque, sub remissione tantummodo contrahit; centrum agnoscit umbilicum, ad vertebras lumbales protensus. Abdomen durum, modice pressum non sensile, sub rudiori tactu dolor augetur; umbilicus est retractus, testes annulo inquinali approximati, praesertim exacerbationis tempore.

Constantissimum symptoma est alvi obstructio, quae interdum eo pervenit, ut fortissimis laxantibus tolli non possit.

Quin imo contractio intestini recti tantum gradum nonnunquam adtingit, ut clysma adplicari nequeat. Faeces excretae sunt durissimae, skybaliformes.

Appetitus prostratus, nausea, vomitus biliosus, lingua muco flavicante tecta, sapor amarus. Facies pallet flavetque, lineamenta faciei magnam passionem exprimunt; superiores et inferiores extremitates dolent, et spastice contrahuntur; arteriae durae tanguntur, tarde pulsantes. — Quae si computaveris, caloris non adaucti memor, nulla tibi difficultas erit, hunc morbum ab omnibus malis adparenter similibus probe discernendi. — Quod si morbus

negligitur, et remedia repudiantur, per menses continuo augmentum capit, tandemque formam mutat, vel phlogosi vel paralysi locum cedendo; adhibitis vero congruis remediis mox devincitur, et sanitas intrat. — Etiamsi morbus optimis remediis abactus fuerit, tamen magna dispositio in eum manet, nec evitatur malum, nisi plumbi influxus caute arceantur.

§. 11. Plumbum diversimode in organismum intrat, modo unacum cibis per digestionis vias, modo per vias aëreas cum aëre inspirato, in quo in pulverem redactum pendet; neque dubitandum, quin per cutem periphericam ad organismi penetralia pervenire possit. Sed in quanam dosi morbum provocare valeat, adhuc sub judice lis est. Nam experientia docet, acetatem plumbi ad 15 grana et ultra per diem assumtum nullas molestias produxisse, quae ad colicam saturninam pertineant. In nonnullis casibus vini, butyri, lythargyro adulteratorum, aquae pluvialis, quae per plumbea tecta fluxerat, nutrimentorum, quae in vasis plumbeis adservata fuere, usus hanc affectionem in lucem edidit. Qui in loco versantur, ubi plumbum liquefit, vel cum aliis metallis combinatur, ubi carbonas plumbi vel minium in pulverem rediguntur, facile enteralgia saturnina corripiuntur; inde Plumbarii, plumbi fossores, metallurgi, qui vasa terrea

plumbo obducunt vitreo, figuli, pictores, tinctores, typifusores et alii quam maxime huic morbo obnoxii sunt. Observatum fuit, certis anni temporibus plures hoc morbo adfectos fuisse, quod autem e laborum in variis temporibus modo majori modo minori necessitate explicari potest.

§. 12. Contra enteralgiam saturninam varii medici variam therapiam commendarunt et adhibuerunt. Plurimi tantummodo sanguinis evacuationes et cetera antiphlogistica in usum traxerunt. Ob malas sequelas, quae inde intrarunt, hanc methodum deseruerunt, neque ullus eruditus medicus amplius invenitur, qui eam non negligat. Recentiorum nonnulli suaserunt, ut cura cum emeticis vel purgantibus incipiatur, quam dein potus refrigerantes finiant. Ast nec haec methodus ex asse respondit. Alii unacum emeticis et drasticis narcotica praescribunt. Etiamsi hic tractandi modus in casibus pluribus felicissimo eventu coronatus fuerit, tamen quam mere empyricus rejiciendus est. Nam non ubique ratio emetica et drastica adhibenda suadet, quae nonnisi ibi bene conducunt, ubi saburra inprimis viis, vel alvi obstructio tanta est, ut mitiora purgantia non sufficiant. Indicationes, quae ad morbum sanandum expleri debent, sequentes sunt:

1. plumbum, si ejus in intestinis adhuc hae-

rentis suspicio est, evacuantibus et antidotis debelletur. Quorum ultimorum optimum sulfur merum considerari debet. Kali carbonicum, hepar sulfuris alcalinum et calcareum, quae a practicis summis encomiis extolluntur, rejicienda sunt; nam minori dosi adhibita nil juvant, in majori dosi vero caustica sua vi intestina irritant, phlogosim ponunt, et priori novum addunt malum;

2. intestinorum rigiditas et contractio est tollenda, quo facto saepius alvi obstructio, quae etiam ad colicam symbolam suam confert, ammovetur. Cui indicationi satisfit largo oleorum mitium usu: olei olivarum, amygdalarum dulcium, papaveris albi, quae vel mera vel in emulsionibus propinantur. Huc quoque pertinent butyrum, lac, ejus serum, mucilaginosa, uti: gumi arabicum, decoctum seminum lini, cannabis, salep, sago, althaeae, cremor hordei et oryzae. Quodsi obstructio alvina pertinax esset, ad pulpam thamarindorum et electuarum lenitivum recurrendum est. In clinico vindobonnensi optimo cum successu calomel fuit adhibitum, ut quod pancreas emulgendo salivationis speciem in intestinis inducit, haec lubricat, et alvum aperit;

3. alia indicatio est, sensilitatem nimiam obtundere, quod jam supra notatis, optime vero narcoticis perficitur. Hyoscyamus hic suum locum

tenet, qui si frustra adhibetur, opii divinas opes implorare necesse est. Opium, praeter quod sensilitatem deprimit, spasticas fibrarum muscularum contractiones solvit, alvi depositionem expedit, ita ut purgantium more agat.

Usum internum externus adjuvare debet. Cataplasmata emollientia, abdominis fomentationes, inunctiones olei chamomillae, olei hyoscyami cocti, cum camphora vel opio conjuncti, clysmata mucilaginosa, oleosa in enteralgia saturnina ex asse respondent.

In reconvalescentia ad fibram intestinorum consolidandam tonicis utendum, quorum amara eminent.

Si paralysis quorundam organorum remaneret, camphora, naphtis, extracto rhois radicantis, aromaticis, vesicantibus abigatur.

§. 13. Difficulter suadendum est, quonam modo homines, qui cum plumbo agendum habent, ab enteralgia saturnina tutos se servare possint. In nonnullis fabricis, praesertim in quibus plumbum carbonicum paratur, statutum est, ut nemo ultra mensem in iis laboret, sed eas deserat, et post certum temporis intervallum iterum intret. Quae cautela nunquam non se optimam praebuit. In his fabricis aëris renovandi maxima cura habenda, neque laborantibus in iisdem commedere et dormire con-

cedendum. Multum juvat usus butyri, et experientia comprobatum est, eos, qui huic indulserunt, colicae saturninae minus obnoxios fuisse.

§. 14. Saturninae fere similis est enteralgia vegetabilis, Cyderkolik, Hüttenkatze, Madrider-Kolik, la colique de Poitou —, quae in nonnullis Galliae, Angliae necnon Austriae superioris regionibus praeprimis occurrit.

Vini non fermentati, vel acidi, musti malici, pomorum immaturorum usus, succi citrici, potus anglicani (Punsch) acidorum vegetabilium et mineralium abusus hanc colicam progenerare valent.

Quae tamen tarde evolvitur, quum ad gignendam diuturno et continuo causarum excitantium influxu opus sit. Praegressa digestione debili pressionis sensus ad ventriculi regionem adparet, cui spasmus gastricus subest. Ructus acidi, sapor idem, halitus foetens, soda, nausea, vomitus materiae acidae et rancidae, sunt symptomata, quae hoc tempore emineant. Sequitur vehemens dolor intestinorum, qui ad umbilicum maxime urget, et ad eum gradum evehitur, ut corporis situs mutari nequeat. Antrorsum flexo corpore et abdomine compresso aegro contingit levamen. Alvus oppilata est, et si quae deponuntur faeces, durae, skybalosae sunt. Ani orificium sursum est tractum, urinae excretio suppressa; pulsus quoad frequentiam

a norma non abludit, (quin imo interdum tardus tangitur), parvus duriusculus, contractus, inaequalis. Aeger emaciatum offert habitum. Dolor extremitates tendit, cui convulsiones se associant. Hanc enteralgiam (uti saturninam), sopor, apoplexia, paralyses, scotomia, amaurosis, tympanites, hydrops, facile sequuntur.

§. 15. Remedia, quae colicae saturninae in genere opponuntur, et contra vegetabilem suum locum tenent. In principio tamen absorbentia, uti:

Magnesia, lapides cancrorum, etc. bene praescribuntur, ut quae acidum primarum viarum absorbent. Alvum leniter aperientia, mucilaginosa, oleosa, narcotica et in hoc morbo multum valent.

§. 16. Enteralgiam traumaticam provocant violentiae externae abdomini illatae: vulnera, contusiones, abdominis verbera, rudis intestinorum sub herniotomia, vel taxeos tentamine tractatio. Symptomata sunt enteritidis: Dolor abdominis, locum, qui violentiae fuit expositus, centrum agnoscens, per reliquum ventris ambitum dispergitur, fixus, assiduus, tactum non ferens, et aquavis preli abdominalis concussione exacerbatus; nausea, vomitus; anxietas, inquietudo summa; alvus pertinaciter clausa; febris inflammatoria; virium prostratio insignis; pulsus veloces, duri, tensi, parvi, contracti. Enteritis haec, nisi in funestum irruat exi-

tum, die septimo vel nono criticis solvitur conatibus. Alias in gangraenam; in intestinorum erethysmum, torporem paralyticum, diutinam congestionem activam vel passivam; in suppurationem, indurationem, variasque hypoclepseos species abit.

§. 17. Cura methodo antiphlogistica absolvitur. In morbo graviori generosa venaesectio princeps suppeditat auxilium. Ubi incitatio universalis emendata est, et localis urget affectio, sanguisugae ano applicentur.

Inter reliqua remedia usus jubetur emollientium, eccoproticorum, diluentium, temperantium, quae tamen parcis, ne vomitus excitetur, dosibus porrigantur. Huc pertineut decocta salep, althaeae, emulsiones amygdalarum, vel seminum lini, manna, pulpa tamarindorum, vel cassiae. Externe cataplasmata emollientia, vel, si molestum eorum evaderet pondus, epithemata simplicia toti abdomini imposita, semicupia, litus ventris eleosi, clysteres relaxantes, mannati, saepius de die injecti, suppositoria e butyro Cacao confecta adhibeantur. Pertinax alvi constipatio oleorum mitium pressorum, quae si non juvant, calomelanos expostulat usum, cujus autem generosae requiruntur doses.

Regimen diaetaeticum indicationibus antiphlogisticis correspondeat. Irritamenta quaevis sunt

anxie vitanda; victus sit tenuis, et potus temperans, egelidus vel tepidus, parce sed crebro exhibendus; tepor lecti aequabilis servandus; a corporis motu et refrigerio cavendum.

§. 18. In enteralgia rheumatica dolor immanis stringit, lancinat, lacerat, qui per varias ventris plagas sine lege vagatur, maxime tamen circa umbilicum furit; tactum a procul recusat, per vices remittit, vel prorsus cessat, iterumque exacerbatur, sub anxietate maxima, inquietudine, corporis contorsione, vomitu, alvo oppilata, vel saltem segni, quibus omnibus febris rheumatica accedit, suis distincta satellitibus, doloribus artuum nempe, urinis hypostaticis, sudoreque largo. In hac enteralgia, quae causam agnoscit refrigerium, velamentum abdominis serosum adfectum est.

§. 19. Status phlogisticus expostulat pharmaca antiphlogistica. Hinc interne emollientia suum locum defendunt, uti: decoctum althaeae salep, emulsio emygdalina etc. Phlogosi ad altiorem gradum evolutae cura antiphlogistica generosior opponatur. Tali modo indicationi generali satisfaci mus; quum vero inflammatio propriam naturam induit, partim ob ejus substratum, partim ob causam et nosogeniam, indicatio inde exsurgit specialis, quae praecipit, ut remediorum actio versus

membranam intestinorum serosam dirigatur, iisque simul concurratur adminiculis, quibus electiva in superficies exhalantes actio competit, qualia sunt diaphoretica. Jam supra notata diaphoresim movent, si tepide sorbillantur; dein externa adminicula in hunc finem dirigi possunt. Suum locum hic tenent epispastica ad suras vel ad abdomen, fomenta sicca, eaedem frictiones etc. Omnia diaphoretica acria et salina sunt caute evitanda, ut quae malum nonnisi exasperare valent.

Regimen diaetaeticum sit indicationibus congruum. Atmosphaera aegrum ambiens esto pura, sicca, temperata, tepor lecti aequabilis, victus ad juscula carnium tenuia restrictus, potus diluens tepidus.

§. 20. Enteralgia catarrhalis cognoscitur dolore vehementia minori, qui obtusus est, vomitu rariori, diarrhoea, vel dysenteria mucosa, cute arida, decursu minus praecipe. Substratum morbi est membrana mucosa, causam sistit refrigerium.

§. 21. Cura antiphlogisticis et diaphoreticis perficitur. Si phlogosis in phlegmonosam inclinaret, ad venaesectiones et hirudines recurrendum. Ad reliquam remodiorum catervam pertinent emollientia, uti: Decoctum salep, mucilago gummi arabici, ova sorbillia etc. Externe cenveniunt cataplasmata emollientia, clysteres mucilaginosi, oleosique.

Ad diaphoresim provocandam inservit calor moderatus et aequabilis, lotiones cum aqua egelida vel frigida, sinapismi et vesicantia.

§. 22. Enteralgia haemorrhoidalis, suppressis haemorrhoidibus producta, statui intestinorum inflammatorio innititur.

Consuetim molimina haemorrhoidalia praecedunt, nec sanguinis fluxus adparet; vel hic irruit, ast modo evanescit. Sequitur dolor entericus scindens, tendens, tactum recusans, praecordiorum tensio, elatio ventris, calor internus, anxietas, nausea, vomituritio, vomitus, alvina obstructio. Augentur omnia, si morbus verae inflammationi approximatur. Pulsus est citatus, parvus, contractus, intermittens, extremitates frigent, respiratio anhelans, anxia, cardiopalmus, aurium susurrus, capitis dolor, et hinc inde deliria molestiarum copiae insinuantur. Nisi malo obex ponatur, horrendum acquirit morbus gradum; vomitus continuat, quatit singultus, venter enormis evadit, atque tympanice resonat; tandem dolores, si crisis benigna morbo finem non imponit, subito difflantur, et gangraenae nuntii adparent.

§. 23. Ad causas remotas pertinent: refrigerium, pathemata vehementia, nimii corporis motus, potus calefacientes etc. Cura eadem est, uti in enteralgia traumatica, nempe antiphlogistica:

tamen admittendum, ut sanguis majori copia ad vasa haemorrhoidalia derivetur, quod perficere irritantibus non licet. Suademus venaesectiones in pede, hirudines ad ambitum ani, pediluvia tepida, eosdemque insessus, cataplasmata emollientia ad os sacrum. Interne praescribimus olea expressa mitia, oleum olivarum, amygdalarum dulcium etc., porro decocta mucilaginosa et emulsiones.

Fracta inflammatione, et remanente nimia tractus intestinalis sensilitate, ad aquam laurocerasi, et extractum Hyoscyami confugimus, quod ultimum cum mucilaginosis oleosisque combinamus.

§. 24. Enteralgia catamenialis irritabilia et plethorica individua plectit, cum menstruis parcis vel suppressis procedit, orta ex refrigerio, praesertim pedum, pathematibus vehementibus, nimiis corporis motibus, potu calefaciente, si eis catameniorum tempore influxus conceditur. Dolor in hypogastrio praecipue tendit, lancinat, lacerat, et ad lumbos protenditur, adest dedolatio summa, gravedinis sensus in extremitatibus, tumor et tensio mammarum, rubor turgorque faciei, aurium susurrus, capitis dolor, vertigo, respiratio anxia, cardiopalmus, pulsus contractus, durus, normali frequentior.

§. 25. Morbus antiphlogisticis devincatur, quorum in casu graviori venaesectiones indicantur,

quas practici in pede uno alterove intistui jubent. Melius interdum hirudines ad labia pudenda majora adplicantur, ut quae sanguinis fluxum ad uterum determinant. Cui ultimo fini pediluvia acria, cataplasmata emollientia, similesque vapores genitalibus adhibiti correspondent.

§. 26. Enteralgia metastatica exanthematibus, impetiginibus, ulceribus aliisque morbosis processibus suppressis et ad intestina translatis originem petit. Omnia symptomata enteritidem produnt; cura igitur antiphlogistica instituenda, illud tameu efficiendum, ut processus morbosus ex intestinis ad prius organon minus nobile reducatur.

§. 27. Enteralgia ex saburra acida, infantibus et inter adultos hypochondriacis, hystericis, chloroticis, arthriticis infesta, originem suam e nutrimentis jam acidis, aut infermentationem acidam pronis, si digestioni languidae offeruntur, vel e nimia acidi gastrici oxydatione repetere solet. Kephalalgia frontali, sapore pravo, acri, acido, ructibus acidis, nausea, vomitu, oppletione praecordiorum, gastrodynia et diarrhoea stipatur. Consuetim accedunt turbae febriles, cum pulsibus acceleratis, plenis, fortibus, liberis.

§. 28. Cura incipitur evacuantibus, quorum emetica eliguntur, si in primis viis saburra versa-

tur, aliter eccoprotica et clysteres laxantes indicantur. Inter Eccoprotica in tali casu magnesia excellit, ut quae saburrae acidae corrigendae inservit. Tubo intestinali ab acidis liberato, amaris, amaro-aromaticis et praeparatis stomachicis utendum.

§. 29. Enteralgia ex saburra rancida oritur, si sub organismi conditionibus, quae acido primarum viarum obsecundant, oleosa et pinguia ingeruntur. Cognoscitur ructibus rancidis, soda, et alvi fluxu, quae dolores colicos comitantur. Cura iisdem immititur indicationibus, uti in enteralgia praecedente.

§. 30. Enteralgia ex saburra biliosa causas remotas refrigerium et animi pathemata agnoscit, quibus hepatis functio concitatur, majorque bilis copia secernitur. Aestatis tempore saepius observatur, et in regionibus calidis endemice grassatur. In principio appetitus prosternitur, sapor amarescit, lingua mucosa flavescit, tenduntur praecordia. Dolor abdominis vehemens scindit, contrahit ab hypochondrio dextro exeundo. Sensus caloris interni, dysphoria, sitis tantalea augent aegri miseriam.

Vomitu copiosa et viridescens materia ejicitur, alvus est diarrhoica, biliosa: urina colorem decocti coffeae simulat.

§. 31. Ad hanc enteralgiam debellandam emeti-

ca optimum praestant officium, si saburra sursum turget; aliter alvum evacuantia praeferenda sunt, ut bilis foras expediatur. Eccoproticorum autem ea optime conducunt, quae sua acida indole benignum in bilis secretionem exserunt effectum, uti: pulpa tamarindorum, cassiae, prunorum, sales tartrici. Contemporanee ad sitim fallendam ii praeferantur potus, qui modica acidi copia pollent; potus citratus, decoctum hordei cum aceto vini, potus cum acido tartrico et syrupo rubi idaei etc.

§. 32. Enteralgia ab heterogeneis solidis facile dignoscitur, dummodo ad anamnestica attendatur. Symptomata sunt irritationis intestinalis, quae ad altiorem gradum elata enteritidem refert.

In therapia omnium primo de eliminandis corporibus alienis cogitandum est, dein irritatio remanens oppugnetur remediis, quae phlogosi contraria sunt.

§. 33. Enteralgia a faecibus ex accumulata materia stercoracea ortum ducit, quae exsiccata mole gravat intestina.

Therapia evacuantibus absolvitur.

§. 34. Enteralgia ulcerosa, phthiseos intestinalis symptoma, ex enteritide praegressa evolvitur. Omnium inflammationum intestinalium catorrhosa est, quae majorem in suppurationem et exulcerationem nisum ostendat. Exemplo sint dy-

senteria aestiva et castrensis, ut quae catarrhosam tubi intestinalis irritationem repraesentantes quam maxime in ulcera nituntur.

Diagnosis desumitur ex signis inflammationis praegrescae acutae vel chronicae, e phlogosi decrescente, laesis tamen intestinorum functionibus; et confirmatur, si per diarrhoeam materia ejcitur purulenta.

Antiphlogisticis tractetur, quam diu adest phlogoseos nota, qua evanescente advulneraria, adstringentia, consolidantia transeundem, uti: hederam terrestrem, veronicam officinalem; gummiferulacea, terebinthinam, aliaque balsamica; paregorica, serum lactis et aquas soterias, quarum modo illa modo haec pro medici consilio adhibentur.

§. 35. Enteralgia skirrhosa et carcinomatosa. Skirrhus intestinorum difficillime dignoscitur, nam induramina skirrhosa, quae tactu percipi possunt, etiam aliis processibus morbosis inniti consuescunt, et cetera symptomata, uti digestio laesa, nausea, vomitus, chyli paratio et copropoësis pravae, alvi oppilatio, dolor pungens aeque aliarum adfectionum producta observantur. Ita etiam carcinomatis difficilis manet diagnosis, nam enteritidis symptomata, quae saltem in principio mali introëunt, cancri imaginem obscurant. Unica diarrhoea inchorosa admodum foetida cum adfectionibus tubi intestinalis praegressis, subsequis

indurationibus et dolore enterico lacerante comparata aliquid saltem luminis circa morbi cognitionem spargit.

§. 36. Cura skirrhi solventibus absolvitur, quorum aquae soteriae optimum constituunt adminiculum.

Enterocarcinomatis cura antiphlogisticis incipitur, quum in principio semper phlogoseos notae adsint. Cataplasmatum et clysterum usus non est negligendus. Tandem ad narcotica transeundum, et eupeptis utendum, ut aegri vita procrastinetur.

§. 37. Enteralgia verminosa vermibus, qui in tubo intestinali nidulantur, provocatur. Juniores adultioribus saepius ei subjiciuntur, et praeprimis illi, qui scrofulosam et sic dictam mucosam constitutionem prae seferunt. Diagnosis e circulis lividis, qui oculos ambiunt, pupilla dilatata, facie pallida pastosa, halitu foetido, largiore salivae fluxu, pruritu narium, praedilecto ciborum farinaceorum usu, abdomine expanso desumitur. Quod si colica intrat, vagans dolor in abdomine rodit mordetque, qui postea ad umbilicum concentratur, et terebrantem naturam induit, per vices intermittit, et dein subito sine causa nota redit. Ciborum ingluvies mitigat dolorum ferociam, quae ventriculo jejuno perferenda non est. Alvina depositio est tarda et cum faecibus partes vermis vel integri vermes eliminantur.

§. 38. Paroxysmus enteralgiae verminosae infuso valerianae, absynthii, lacte, oleosis, cataplasmatibus tepidis, innunctionibus anodynis, quibus oleum tanaceti vel absynthii addi potest, clysmatibus e decocto alii cepae in lacte, ex infuso valerianae etc. tractetur. Post paroxysmum vermes ex organismo expediantur; qui si ascarides sunt, seminibus Cynae, tanaceti, radice valerianae et filicis maris opus est, drasticis non vilipensis. Quod si vero cum Taenia solio agendum, decoctum corticis punicae grannati, extractum radicis filicis maris aethereo-resinosum in pillulis et methodus Nufferiana suam merentur laudem.

Verme expulso diaethesim emendare studemus, quod pharmacis amaris et amaroaromaticis perficitur.

§. 39. Enteralgia a calculis felleis, per philadelphiam, quam nervi inter organa bilifera et tubum intestinalem fovent, sustinetur. Haec enteralgia etiam colica hepatica, aliis icterica audit, et sequentibus cognocitur signis: A principio plenitudinis sensus in cordis scrobiculo, et gravedo in hypochondrio dextro adparent, cutis externa et albuginea flavo tinguntur colore; urina fusca, excrementa grisea conspiciuntur argillaceae consistentiae; nauseat aeger, vomiturit, vomit, scapulam dextram dolor tendit, pes ejusdem lateris stupescit, vehementes subitique dolores excruciant ventrem

Paroxysmi periodicum decursum observant, plures dies durant, vomitu et diarrhoea, quibus calculi ejiciuntur, saepe terminantur, post menses aut prius redituri, prouti nempe novi calculi in depravatabile conflantur.

§. 40. Therapia hujus morbi in eo consistit, ut calculi ammoveantur, et symptomata molesta compescantur. Ad primum finem consequendum mixtionis aetheris sulfurici et olei trebinthinae āā partes aequales 10—30 guttae aliquoties de die sumantur, et serum lactis superbibatur. Aqua calcis vivae, sapo medicinalis, natrum carbonicum, quae etiam contra hos calculos commendantur, tardius agunt, quam ut medici consilio respondeant. Ad dolores mitigandos interne naphthae, tinctura castorei, hyoscyamus, opium; externe linimenta volatilia addito opio, vel oleo terebinthinae, cataplasmata aromatica tepida et semicupia praescribi solent.

§. 41. Enteralgia a calculis renalibus. Dignoscitur e renum praegressis morbis, ex organismo arthritico, rachitico, scrofuloso; dolore ad lumbos premente, qui ab ultima costa in pelvim protenditur, cum cruris stupore et spastica testis ad annulum inquinalem adtractione. Accedunt nausea, vomitus et dolores colici vehementes, Urina, si quae mittitnr, est parca, turbulenta, vel sanguifera, sedimentum deponit sabulosum simulque

mucosum. — Quae si cum renum adfectionibus praegressis comparantur, diagnosis nulla difficultate premitur.

§. 42. Et in hoc morbo primus medici finis in eo versatur, ut calculum resolvat, et molestias praesentes componat. Ad sic dicta lithontriptica aqua calcis vivae, kali et natrum carbonicum et sapo medicinalis pertinent, quae cum lacte aut decoctis mucilaginosis praescribuntur. Ad dolores minuendos hyoscyamo, opio interne, et externe inunctionibus olei hyoscyami, cataplasmatibus tepidis, quibus herba cicutae et hyoscyami adduntur, nec non balneis tepidis opus est.

§. 43. Enteralgia ex hernia incarcerata tumore in una alterave abdominis regione, dolore immani tendente, vomitu, alvo oppilata, aliisque enteritidis signis manifesta fit.

Cura est cum taxi vel herniotomia incipienda, et antiphlogisticis absolvenda.

§. 44. Tali pacto, quem mihi destinavi, finem adtigi, sed quali cum successu, benigno lectori faventique judicandum remitto. Plura adhuc de hac, quam subivi, sparta dicenda forent; ast temporis angustia urget, nam ultima jam splendet anni scholastici luna, et optatum laborum fastigium pro doctoris laurea assequendi, desiderio flagro. Enteralgiae igitur ejusque therapiae sufficiat skiagraphia, quae dissertatiunculae expleat pagellas.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In enteralgia saturnina opium anodynum optimum est et evacuans.

II.

Enteralgia gravior est interitidi proxima.

III.

Quilibet nervus motui et sensui inservit.

IV.

Fons caloris animalis est oppositio sanguinis arteriosi et venosi biogalvanica.

V.

Non datur morbus mere dynamicus.

VI.

Absque Mercurio non sanatur syphilis.

VII.

In catarrho pulmonum protracto sal amoniacus optimum remedium.

VIII.

In rheumatismo chronico balnea vaporosa maximum praestant adminiculum.

IX.

In febribus intermittentibus cortex ipse chinino sulfurico saepe praeferendus est.

X.

Absque venaesectionibus pneumonitidis phlegmonosae cura rationalis non datur.

XI.

Lien est organon sanguinem phlogistizans.